Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Circuncisi

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

quot ei confidunt. Sed quid hoc nouæ rei eſt? numine corripiuntur omnes qui me audiunt, & iam diuerſis linguis loqui incipiunt. Num quid cauſæ eſt, cur minus aqua abluantur, qui eodem nobiſcum numine afflati ſunt? Abluantur ſanè nomine Domini.

SENTENTIA.

Nullius conditionis hominem non admittit Chriſtus. Apud omnes nationes, quicunq; Deum metuunt, innocenterq́; uiuunt, Deo accepti ſunt.

CIRCVNCISI. *Actor. 11.*

ARGVMENTVM.

Reprehenſus à Chriſtianis Iudæis Petrus, quòd cum Cornelio extraneæ gentis homine congreſſus fuiſſet, cauſam dicit, & obtinet.

Chriſtiani, Petrus.

NOs quidem factum tuum probare nullo pacto poſſumus, ut liberè loquamur. PET. *Quod'nam id eſt tandem?* CHRIST. *Quòd homines præputio præditos conueniſti, & cum eis cibum cæpiſti.* PET. *Si uobis uidetur, rem omnẽ, prout ſeſe habet, enarrabo: uos ea audita, iudicabitis.* CHR. *Placet, enarra.* PET. *Cum in oppido Ioppa orarem, uiſus ſum mihi uidere (cum eſſem extra me raptus) uas quoddam deſcendens, quaſi linteum magnũ, quod quatuor capitibus de cœlo demiſ-*

 ſum,

ſum, ad me uſque peruenit. Id cum attentus contemplarer, uidi quadrupedia terreſtria, & feras, & ſerpentes, & aereas uolucres. ſimulq; uocem audiui dicentem mihi: Age Petre, macta, & ueſcere. Tum ego: Minimè, Domine. nihil enim unquam immundum, aut impurum, per os meum intrauit. At illa uox iterum de cœlo inquit: Quæ Deus purgauit, tu ne pollue. Idq; ter factum eſt, & tum demum omnia in cœlum ſubducta ſunt. Tum continuò præſtò fuerunt tres homines in ea domo, in qua eram, ad me Cæſarea miſsi. Cum his ut abiecta omni cunctatione congrederer, diuino afflatu admonitus ſum. Iuerunt unà mecum ſex fratres hi, ac nobis hominis domum ingreſsis renunciauit ille, ut Genium domi ſuæ uidiſſet aſtantem, & ſibi præcipientem ut mitteret Ioppen homines, qui accerſerent Simonem cognomine Petrum: ex quo ea audiret, quæ & ipſi eſſent, & ipſius toti familiæ ſalutaria. Hic cum ego loqui cœpiſſem, illi diuino afflatu correpti ſunt, quemadmodum & nos fuimus principiò. Tum recordatus ſum illud Domini dictum, quo dixerat, Ioannem quidem abluiſſe aqua, ſed nos ſpiritu ſacro ablutum iri. Quòd ſi eodem illos munere affecerat Deus, quo nos, cum in Ieſu Chriſti Domini fidē ueniſſemus: ego quis eram, ut poſſem obſiſtere Deo? CHR. Iam nihil addimus: ſed gratias Deo agimus, qui etiam exteris per uitæ caſtigationem aditum ad uitam patefecerit.

SEN-

SENTENTIA.

Imitanda eſt Petri modeſtia, qui quod diuino iuſſu fecerat, eius tamen cauſam hominibus reddere non dedignatur. Quos Deus admittit, eos repudiare nemo debet.

RHODE. Actor. 12.

ARGVMENTVM.

Eductus diuinitùs ex carcere Petrus, Chriſtianis narrat, quemadmodũ fuerit eductus.

Petrus, Rhode, Chriſtiani.

APerite mihi has fores aliquis. RHO. *Neſcio quis pulſat hoſtium: prouiſo quis ſit.* PET. *Ecquis mihi aperit tandem?* RHO. *Petrus eſt, Petrus eſt. O' me felicem: ô populares, ſalui ſumus. Petrus pro foribus ueſtibuli ſtat.* CHR. *Inſanis.* RHO. *Minimè uerò. Agnoui eius uocẽ.* CHR. *Genius eius eſt.* PE. *Heus, heus aperite tandem.* RHO. *Non auditis eum pulſantem?* CHR. *Aperiamus. O' mirum miraculum. Tu'ne ergo uerus es Petrus?* PET. *Pax ſit rebus. Audite ut me Dominus eduxit è carcere. A' quater quaternis militibus per uices cuſtodiebar. Cumq́; hac nocte dormirem inter duos milites, uinctus duabus cathenis, carceremq́; cuſtodirent ante ianuam cuſtodes, ecce adeſt Genius Domini, cuius in aduentu domus ſplendore illuſtrata eſt. Is me pulſato latere expergefactũ, iuſſit ſur-*